

www.e-rara.ch

Sciagraphia templi Hierosolymitani

Sturm, Leonhard Christoph

Lipsiae [i.e. Leipzig], 1694

ETH-Bibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-75>

Sectio I.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

SECT I.

CAP. I.

De Templo Salomonis.

§. I.

Deus Archi-
tectus

Um Deus suo Nomini domum erigi a Populo suo voluisset, Tabernacula relicturus, Davidi regi typum Ipse futuri templi divino digito expressum exhibuit, æternus Architectus. Eum vastissimo ædificio mox executus Salomo, miraculum istud Orbis extruxit, quod Assyriorum Persarumque luxuriam tam longe post se reliquit, cujusque in levi saltem umbra conspiciendi hodiernum mortales non modica cupido exercet. Hoc Templum, ectypa Ezechielis visio sequuta est, hoc Zorobabelis sequutorumque Regum qualitercunque imitata pietas, hoc ipsum tertii, si quod Herodes restauravit, exemplar extra dubium fuit, hoc denique sumtuoso imitamine expressum, nonnulli adhuc dum Hierosolymis extare, Christianis inaccessum, per svadere nequicquam laborant. Idem quoque basis & genitrix tot meditationum fuit, quibus in aliqualem divinæ ædis cognitionem indefessa literatorum curiositas continuo annititur.

Unde templi
Hierosolymi-
ani cognitio.

§. 2. Petenda ea ex S. Scriptura est, 1. Reg. à cap. 5. ad 9. 1. Paralipp: 24. ad finem excepto 28. 2. Regg. 25. 2. Paral. à cap. 2. ad 8. ac Jerem: denique 52. Iosephus enim quod conferat vix habet, maximam partem cum sacris literis eadem locutus, si cellaria excipias, quæ circa templum longitudine latitudineque 25. altitudine vero 20. cubitorum sita recenset, ut si fidem gravissimo secus Auctori habere velimus, illa non intelligi dicendum sit, quæ
sacræ

facræ literæ eisdem loci circumstantiis, sed aliis plane mensuris memoriæ consignaverunt.

§. 3. Cæterum hæ templum κατ' ἐξοχήν dictum cum aliquot solum partibus describunt. De Atriis eorumq; ædificiis vix verbum. Sacerdotes & Levitæ, eorumque ordines, utensilia porro sacra, & ipsius extructionis circumstantiæ satis prolixè explicantur.

§. 4. In genere Templi partes ex cap. 28. vel 29. v. 11. I. Paral. cognoscim⁹, quem locū, nostræ quoq; delineationi apprimè utilè, sine prolixiori inspectione prætermittere neq; o.

Brevis descriptio partium templi.

In Fonte ita se habet: יְהוָה יְהוָה יְהוָה בְּנוֹ אֶת־הַתְּבַבְּתִים
 Et dedit David Filio suo Salomoni exemplar.

1. תְּבַבְּתִים Latin. vulg. *Porticus*. LXX. Interpretes τῶν ναῶν Chald. Interpres *Parastadium*. B. Luth. der Halle Ubi quidem satis evidens est, id ipsum vestibulum hic indicari, quod ante templum positum large describitur 1. Reg. 6. 3. Divinare autem non possum, quare LXX hic utantur voce ναῶν (quæ alias in templis mediam partem, Chorum inter & vestibulum constitutam significat, unde πρὸ ναοῦ proprie vestibulum designat,) cum in Ezechiele pro vestibulo, ipsum vocabulum Hebraicum sine translatione iis usu veniat.

Vestibuli.

2. בְּתוֹכָהּ Et Domos ej⁹ vulg. *Templi*. LXX κατ' ἐξοχήν Sancti & Oeci supra illud τῶν οἰκῶν αὐτῆς. Chald. Et mensuram domus. B. Luth. und seines Hauses. Videntur hæ versiones diversæ, ut ut omnes cum fonte conciliari queant, prætervulgatâ. Ita verò facillime dicemus cum plerisq; Interpretib⁹, non solū Templi sanctum, sed & Sanctissimum simul intelligi. Solent enim tum simul venire nomine dom⁹ in S. Literis, tum separatim quoq; ut quoad sensum singularis numerus æque ac pluralis succedat, qui in fonte exprimitur. Verum enim

Sancti & Oeci supra illud

vero mutanda commodissima sententia est, ultimis quippe textus verbis contraria, ubi Domus propitiatorii mentio fit, qua quidem, præter Sanctissimum vel Oraculum nil concipere quimus. Veniat igitur totum interius templum, Sanctum cum Propitiatorio una complexum, in singulari, domus nomine. At hoc modo ob pluralem numerum fontis, alius insuper quærendus locus erit, eodem nomine dignus; quod fiet, si Templo ipsi quam simillimus sit & cum eo una post vestibulum situs. Talismodi si quem certis ex rationibus obtineamus, non dubitare licebit, quin verus ille verborum sensus detectus sit. Concipio itaque vestibulum triplici contignatione, totuplicique columnarum serie assurgens, uti ædificia quoque atriorum tot ordinibus consistere. 1. Reg. 7. 12. adeoque turris instar superbiens. Templum post hoc situm concipio duplici contabulatum contignatione, ita ut emineat supra conclavia, quæ undique ipsi circumposita legimus, unica facile contignatione contenta. Ita supra templum altero ordine comprehendetur spatium, uti Templum 20. Cubb. latum, 60. longitudine completens, cui firmissimis quoque argumentis 30. cubb. altitudinem ad signare pronum est. Quid vero quæsito nostro convenientius desideremus, quidque potiori jure insigniamus cognomento domus. Villalpandus in suo quoque templo non potuit non ejuscemodi domum supra domum templi concipere, & ad instar magnifici ac prægrandis Oeci depingere.

Conclavium
in ædificiis
sancti atrium
cingeulibus

3. $\text{לְבַיְתֵי הַמִּזְבֵּיחַ}$ vulg. Et Cellariorum. LXX $\text{καὶ τῶν ξαρχῶν αὐτῆς}$
Chald. Et Xyfti. B. Luth. und der Gemach. Per gazophylacia autem adeoque Cellaria etiam optime exprimi præsentem vocem existimaverim. Imo τῶν LXX. vox non aliud dicit, siquid præcipue verum est, eam quasi γαξάρχης dicere,

cere, atque ab Hebræo originem ducere. Ipsam deniq; vocem in Fonte idem innuere, ex Esth. 3. 9. perspicui potest. Cogitemus hic itaque conclavia, undique circa templum, intercepto atrio, jacentia, quæ triginta numero, 25. cubb. spatio & 20. cubb. altitudine effigiari possumus, ut adeo Josepho simul quodammodo satisfiat, qui talia describit. Hic thesauros templi reservari commodissimum erat, ac cæterum fere necessarium, ejusmodi locis templum exterius cingere, ne ulla ex parte profanum pateatur accessum.

4. **וַעֲלִיזָה** Vulg. Et cœnaculi. LXX. *Καὶ τῶν ὑπερώων* Cœnaculo
 Chal. Et Cœnaculorum. B. Luth. Und der Saal. *Quare* rum supra vestibulum,
 vero Latina singulari numero utatur, non video. Cæterum communiter voce cœnaculi utuntur. Hebræa vero & Græca voces egregie exprimunt, quid hic sub intelligendum sit. Illa enim ab elevatione, aut situ in superiori loco dicitur. Apud Græcos *ὑπερώων* superiorem ædium partem designat, unde *ὑπερώος* derivatur, ut adeo supremus & elevatissimus locus indigitetur. His rationibus securus concludo intelligi cœnacula vel exedras, necessario supra vestibulum in contignationibus reliquis collocandas.

5. **וַעֲלִיזָה פְּנִימָה** Vulg. *Et penetralium interiorum.* LXX. *Καὶ τῶν ἀποθηκῶν τῶν ἐσωτέρας.* Chald. Conclaviū in circuitu eius sanctum.
Porticum interiorum. B. Luth. Und der Kammern inwendig. Omnes quidem satis nervose exprimunt circuitum illum, procul dubio conclavibus destinatum, qui 1. Reg. 6. 5, 6. exponitur. Simul vero vis vocum præcipue Hebræarum docet, cubiculorum illorum parietem subdiale spatium non contigisse, sed intra porticum aut majora conclavia situm, ipsa vero conclavia secretioribus recondi-

conditis destinata fuisse. Fons enim ipse non modo penetralia s. intimiora conclavia & secretiora, sed cum expresso addito, interiora penetralia intimat. Unde credo locis hisce, secretiora templi scripta aliaque recondita fuisse, ut quasi fuerint Archivum templi. Ejusmodi etiam: recessu, satis quidem spatiosos templum omnino sibi vendicat, ubi tot secreta, tot populorum acta transigebantur, legesque condebantur.

Sanctissimi vel Propitiatorii.

6. **בְּיַת הַכִּפּוּרִים** Vulg. *Domus propitiationis*. LXX. **τῆ ὄψε τῆ ἱξίλασμα**. B. Luth. *des gnaden stules*. Uno verbo Sancti Sanctorum. Ibi enim arca fœderis recondébatur, cui impositam fuit propitiatorium, quod describitur Exod. 25. 17. LXX. vero *ἱλαστήριον* vocant, ut fere suspicer, illos hic loci alium locum intellexisse quia proprio vocabulo cum Fonte non utuntur, forte Domus supra num. 2. simul etiam de Sanctissimo, & hunc locum de altari æneo dici existimantes, quod omnino ædificii propitiatorii nomen, & hic loci recense, meretur. Cum vero hac expositione reliqua verba iterum obscura fiant, & maxime in Fonte nomen Propitiatorii stricte dicti adhibeatur, de meæ interpretationis veritate eo certior evado.

Aliorum explicationes in dubium vocantur.

§. 4. Alias hic locus diversissimas variorum Auctorum explicationes patitur, ex quibus manifestum est, Interpretes illos contentos fuisse, modo conclavia fingere potuerint, quibus nomina recensita qualitercunque convenirent, de eo parum solliciti, num apte templo etiam applicari possent, si revera extrueretur, ob architecturæ procul dubio ignorantiam, quæ se hic loci perpetuo vindicat. Ita citante Lud. Capello *Ribera de Templo Salomonis hoc loco per* **בְּיַת הַכִּפּוּרִים** *intelligit locum Sanctum & Adytum sive Sancti Sanctorum, per* **גַּזְּוֹפְיָלָא** *Gazophylacia*

Riberae expositio.

lacia, cellas domui circumpositas, per עליות cœnacula illa tabulato primo sive infimo super imposita, denique per הפנמי הרריו cubicula in adytis, sive interiora, quæ erant in secundo & tertio tecto Templi, & interiora inquit, dicuntur, ut distinguantur a cellariis, quæ exteriora erant. Ubi scire gestiam, quid ex loco propitiatorii fecerit, & qua ratione supra templum construxerit plura cœnacula, ac ubinam denique locaverit proprie cubicula interiora, in tectis qualibus utebantur gentes orientales, & ut lucem, commodumque accessum, atque cum reliquis tandem partibus symmetriam illæsam potirentur.

§. 5. Quod ipsum quidem celeb. Capellum attinet Riberam refutat, deterioremque sententiam substituit in descriptione Templi juxta Josephum. vid. App. Waltoni Biblicus. Ibi per בהים pariter dicit intelligi posse locum Sanctum & adytum, per גזזפחית intelli-
gi debere, cellarum Templo ab utroque latere circumpositarum primum tabulatum, quarum cellarum hic videatur fuisse usus, ut in iis pretiosissima quæque recondentur & asservarentur; per עליות cœnacula, posse intelligi secundum & tertium cellarum illarum tabulatum, cum fuerint revera אפספס, cellis inferioribus super posita; per הפנמי הררים *penetrabilia intima* intelligendas venire cellas illas, quæ erant a tergo Adyti, quæ sic dicantur, quia in illas penetrari non poterat, nisi per anteriores cellas, quæ prius erant emetiendæ, & penetrandæ, ex una nempe in aliam dato ingressu; ביתהכפור *domum propitiatorii* Adytum significare, in quo erat arca fœderis, qui locus licet in præcedentis vocis complexu בהים fit

Capelli
expositio.

comprehensus, singulariter tamen, adhuc commemoratur, quia pars erat templi maxime præcipua, cæterisque sanctitate longe præstans.

§. 6. Neque vero divinare possum, quid Virum alias accuratum ad sensus tam anxios exsculpendos adegerit. Cur David Rex, Salomoni exemplar Cellariorum & aliud cœnaculorum & tertium Penetralium dederit, si omnia juxta Capellum idem fuissent? Cæterum non miror tantum virum absonæ sententiæ favere, cum pro auctoritate in sentiendo agere alias consueverit, atque per universum templi sui conceptum, quicquid imaginationi suæ, satis ut ita loquar, in architectonicæ minus perceptibile est, statim refutat, statim mutat, ne ipsis quidem originalibus sacrarum literarum vocibus exceptis. Sic v.g. nihil elegantius excogitare possit Architectus, quam vestibulum 120. cub. altum. Quia vero cum altitudine templi 30. cubitorum, quam exteriorem esse falso putat, componere nequit ingeniosissimus Capellus, mavult Sacræ Scripturæ vitium, quam sibi fallibilitatem adscribere, de quo infra plura.

Circa templum salomonis duplex atrium, unum sacerdotum fuisse, alterum Israelitici populi.

§. 7. Hæc de Templo. Quod atria attinet, de illis nihil docemur, nisi 1. Reg. 7. 12. 36. 6. 2. Reg. 21. 5. & 2. Paral. 4. 9. Postremo loco dicitur, Salomonem fecisse Atrium sacerdotum וְהַעֲוֹקָה הַבְּרוּכָה Vulgat: *Et basilicam grandem.* LXX. *καὶ τὴν αὐλὴν τὴν μεγάλην.* Chald. *item fecit atrium unum ingens pro sacerdotibus & Levitis* vertit totum contextum. Pagnin⁹. *Et atrium auxilii magnum.* B. Luth. *Einen grossen Schranken.* Patet ex tot versionibus, Auctores eorum incertos fuisse maximam partem, quid vox עֲוֹקָה proprie significet. Altius igitur res petenda esse videtur, & tentandum, an in cognitionem aliquam atri-

atriorum eorum hinc venire propius possimus. Nimirum ^{c. 44. 3. & 46. 2.} apud Ezechielem legimus, neminem fas habuisse ab Orientali plaga versus templum ingrediendi, præter Regem, qui stans temporibus ibi introgressus, per exterius modo atrium usque ante portam exteriori atrii interioris perrexit, ibi vero in ipso substitit vestibulo, & apertis portis coram templo & altari preces suas ad Deum fudit. Dubium ergo non est, eandem sanctitatem, Salomonis Templo fuisse. Ejusmodi enim ceremonias non facile mutatas in Relligione Judæorum satis novimus. Egregie vero huc facit locus 2. Paral. 6. 13. Ubi Salomo dicitur concham æneam aut fortasse subsellium instar conchæ formatum fecisse, & posuisse *בֵּיתֵהָ הַיְצִוּתָהָ*, & stetit super illud coram vel in facie altaris Domini, & precatum esse ad Deum. Certum igitur est ab Orientali quoque plaga stetit Regem. Neque dubium in atrio aliquo fuisse exteriori, ibique Regem, ordinato tempore preces ibidem frequentaturum, adorationi commoditatem comparasse. Illud ipsum vero Atrium intra templum & ab Atrio gentium distinctum fuisse necesse est, ubi tanquam loco aliquo modo profano, Regem adorasse vix credibile est. Videmus exinde cum Regum adoratione in Templo Ezechielis constituta, hujus egregium consensum. Nihil amplius adeo impedit, quo minus dicamus, vocem *עִוָּתָהּ* significare atrium, hoc vero magnum fuisse, & circumdedit Atrium sacerdotum. Ultimum concludi exinde potest, quod probabile in hoc quoque templo sit, populo accessum ad templum ex parte meridionali & septentrionali tantum patuisse. Ergo exterius illud atrium eo usque utrinque extensum fuit. Nam atrium, in quo Populus Israeliticus ubi se purgasset, ad offerendum holocaustomata, separatus a sacerdotibus sanctioribus, & a

versantibus magis profanis in atrio gentium moraretur, requiritur. Neque minus congrue vi vocis dicitur hoc Atrium, Atrium auxilii, quia in hoc atrio procul dubio etiam Levitæ janitores, coqui, mactatores & similes sacerdotum Adjuutores habitabant atque officiis suis fungebantur. Sed sufficiant hæc, cum plura sequenti capite tertio commodius circa hanc rem moneri possint. Cæterum de Templo Salomonis legi meretur Tr. Joh. Lichtfocti de Templo.

CAP. II. De Templo Ezechielis.

§. I.

An templum
Ezechielis vi-
sum cum Salo-
monæo idem
fuerit,

Quale fuerit
templum istud

In visione Ezechielis templum aliquod prolixè depingitur, Israelitico Populo sub vinculis Babylonis adhuc suspiranti ideo distinctissime repræsentandum, ut eos puderet peccatorum suorum, c. 43. 10. Unde non inscite nonnulli concludunt, illud ipsum fuisse Templi Salomoniani devastati ideam. Quam probabilissimam consequentiam videndum est, an ex aliis quoque rationibus confirmare possimus. Neque enim celeberrimos viros in dubium eandem vocare ignoro, qui templum utrumque diversum adserunt; quos inter celeberr. Calovius et Joh. Lichtfootus reperiuntur, quorum cum maximi nominis Theologis aliis sententia communis, mystice interpretandam visionem illam Prophetæ adserit. Ubi quidem doctissimo tantorum virorum decreto lubens meritoque consensum meum subjicio, cum distincte rem pensito. Existimem adeo Ezechielis templum esse i. ædificium perfectissimum, & ipsius Architecturæ, quam hodiernum moratiores gentes mirantur & excolunt, absolutissimum exemplar, ac posse proinde designationibus repræsentari.

tentari. 2. Templo Salomonis simillimum. 3. Revera tamen non ædificatum, neque ædificatu in monte Moria possibile 4. tamen exemplar templi post captivitatem extructi 5. denique principaliter typum mysticum felicitis in qua vivimus Ecclesiæ Christi.

§. 2. Quod primum attinet, tota parte secunda illud demonstratum ibimus.

§. 3. Secundum patet: si utriusque templi descriptionem attente legamus, paucas sed principales nonnullas circumstantias, quibus utrumque templum convenit, utrinque expressas reperimus. Ita utrinque adsignantur mensuræ sancti sanctissimique cum suo vestibulo, & quidem pares inter se. In Monte Moria stetisse templum ex utroque etiam loco patet. Nullibi vero contraria sibi in vicem deprehendimus, imo ne, quoad rem ipsam quidem, diversa, licet hinc inde mensuris, non sine prægnanti causa paulisper differant. Uti v. g. gazophylacia vel penetralia interiora Templi Ezechielici alteris in templo Salomonis simillima, sed magnitudine inferiora sunt, forte non sine gravi mysterio. Eorum enim tres series latitudines habent versus superiora numerando 4. 5. 6. horum 5. 6. 7. Cubitorum. Cæterum quæ in uno prolixè describuntur, circa alterum verbo tantum indicantur, aut penitus omittuntur. Ita cum templo Salomonis, vasa templi, & columnæ æneæ, Sacerdotumque & Levitarum Ordines accurate definiuntur, de Atriorum & Architecturæ dispositione vix tria verba. At in templo Ezechielis reperias atriorum & omnium Templi partium, & Architecturæ dispositionem, tecte licet & nervose, distincte tamen & accurate definitam. Vasa templi æneæque columnæ vix uno alteroque verbo produntur, ut inferius clarissime per omnia patebit. Plura argumenta forent,

Salomonis
templo simile
fuit,

quibus utriusque templi convenientiam demonstrare liceat, sed hæc ipsa, iis qui partem alteram legerint, sufficere posse spero.

non extru-
ctum, exem-
plar tamen
post captivi-
tatem extruc-
ti fuit.

§. 4. Tertium quod respicit ac quartum; facile cogitare quimus, Judæorum opes post captivitatem, ipsorumque numerum divinæ structuræ impares fuisse. Templum quoque ipsum juxta illud exemplar accurate construere, per Regem Persarum ipsis nefas erat. Historia vero testante, successive sub variis Populi Regibus demum in justam molē prope excrevit. Denique etiam si Josephi Descriptio templi, prout mox demonstratum dabimus, sufficienti auctoritate non polleat, circa tamen partes ipsi credendum est, quas Architecturæ ignarus satis clare percipere potuit, quasque Græcorum crudelitas ab incendio reliquit. Præsens enim templi secundi spectator fuit. Ita multa Ezechielis templo inconvenientia in secundo illo invenimus. Interea ex reliqua descriptione, licet falsi non immerito suspecta, dispalescit tamen, Israelitis circa interius certe atrium, Ezechielis exemplar ante oculos fuisse, in prima post captivitatem extruptione. Si Talmudici doctores non tam ex ipso Ezechiele, quam ex oculari inspectione secundi templi concinnarunt, suas delineationes, eo magis id ipsum confirmatur. Imo quis inde dubitaverit, cum Divino jussu, Ezechielem visionem suam Judæis ejusmodi designationibus, quas ipsi intelligere poterant repræsentasse, jure meritoque credamus. Imo non ambigam asserere, quod Esdra pius sacerdos, aliique religiosi ab initio statim agnoverint, visionis illius divinitatem. Eandem reliquia captivitate redempti renuere certe non poterant, tanta Prophetiæ Ezechielicæ parte jam dum repleta. Quod reliquum est, exemplaria alia, aut ipsius Templi Salomoniani

niani apocryphas ideas restituisse nullibi apparet. Ergo pro viribus hanc Ezechielis ideam divinitus revelatam, sequuti sunt. Cæterum universum exemplar opere ipso exprimi non poterat. Extrema enim templi area 3000. Cubitos longa, totidemque lata erat, quantam quidem tota vix dum Hierosolyma, multo minus inclusus Mons Moriaë patebat.

§. 5. Unde eo lubentius denique maximorum Theologorum piam doctrinam amplector, qui sub utroque templo mysticam Christianæ Ecclesiæ repræsentationem subesse constituerunt. Imo ex minimis templi partibus & mensuris fortasse mystici ejusmodi sensus derivari prono alveo se patiantur, si quis Architecturæ gnarus, secundum dispositionem, altera parte declarandam, eas rimaretur, cui simul reverenda Theologorum penetralia adire fas esset. Ego quidem cum Philosophis adhuc dum ab interioribus illis atriis exclusus, in extimo gentium quasi versari malo, quod omnibus adire fas æquumque est.

Mystice Ecclesiam Christi repræsentavit.

§. 6. Multi viri celeberrimi quidem in visionem hanc Ezechielis notas suas & Commentarios Erudito Orbi communicarunt. Sed cum intellectu, si non impossibilis, tamen difficillima, sine accuratissimæ Architecturæ subsidiis sit, brevissimis, miroque ordine dispersis definitionibus, multisque technicis terminis involuta: eorum maxima pars in elaborandis figuris illam exprimentibus frustra laborarunt. Omnibus palmam Villalpandus & post eum celeb. Coccejus præripiunt.

Quinam explicavit hanc visionem.

§. 7. Ille difficillimam rem eo deduxit, ut longe minus difficile jam sit inventis ejus ingeniosissimis addere, & ad veritatem propius accedere. Per totam enim partem illam evidenter, debita tamen adhibita modestia

de Villalpandi Commentario in eam sententia.

stia

stia, demonstraturum me spero, non solum Architecturæ, sed etiam (fere dixissem consequenter) ipsi S. Scripturæ minus congrua eum enixum esse hinc inde plurimam. Quo quidem in imitabilibus Auctoris laboribus, nihil quicquam gloriæ decedet, quia primi sunt. A me vero minus circumspicte et temerarie hæc judicari, B. Lectorem, antea ne censeat, rogo, quam ipsas demonstrationes, collatis S. Bibliis inspexerit. Viginti annorum spatio perfectit, ac spatioso Volumine complexus est, eruditissimus Jesuita, Meditationes suas, tum Architectura, licet nimis Vitruviana, tum linguarum multarum peritia instructissimus. Neque putem adhuc ullibi quidquam latere, huc spectans, quod non in Librum suum compegerit, quo ipso eum sequentes labores nimium quantum facilitavit. Nimirum Regis sui Clementia & Ordinis sui felicitate adjuto non potuit non ad rarissimos libros accessus patere. Delineationes etiam sollicitè elaboratas, & elegantissime sumptuoso æri incisas, quot quis desiderare possit, addidit. Hunc itaque solum secutus sum, Architectura penitus excepta, cujus tanto ejus tempore nondum perfectio fuit, iis tantum mutatis, quæ manifestæ S. Scripturæ adversari, sufficienter ostendere poteram. Quo ipso tamen imago templi nata est, si generalem atriorum, ædificiorumque ejus dispositionem excipias, fere universim ab ejus conceptibus discrepans.

Goldmanni
animadversiones
in Villalpandum.

§.8. Architecturam Villalpandi correxit Nic Goldmannus, in Architectura sacra, quam manu scriptam mecum habeo. Ejus atria exteriora templi, eo fortasse id non cogitante, teris ita congruere deprehendi ut alia & melior dispositio cum S. frustra quaeratur. Quo ad interiùs vero atrium atque ipsum templum ab eo non recedere non potui. Nimirum

rum paucis in locis, vir ingeniosissimus scripturam, ex B. Luth. versione consuluit, ac cæterum satis prodidit, se non adeo ad veram templi dispositionem inveniendã, sed poti⁹ ad afferendum Architecturæ civili decus & perfectionem animum intendisse, quare pleraque ex Villalpando, sæpe quidem veritate destituta præsupposuit. Sed de hoc alio loco fortasse prolixius, ut pateat dispositionem specialem meam ab eodem magis, quam ab ipso Villalpando dissidere.

§. 9. Celeberr. etiam Joh. Coccejus, linguarum Orientalium peritissimus peculiariter in Commentario in Ezechielem, ejus visionem ultimam tum explicatione tum Figuris æri incisis plurimis, ac cæterum satis elegantibus expressit, iisque sine hæsitatione totum textum ingeniosissime adplicuit. Ubi facile cuilibet quidem subleat Virũ clar: Architecturæ cognitione non instructum, ab Architecto tamen adjutum fuisse, adeo partus ipse se junctos dissimilesque parentes undique prodit. Utut vero ne linea quidem meorum conceptuum cum illa designatione conveniat, omnino tamen illa nihil hisce derogat. Abstineo igitur jure merito a dijudicanda illa, cum neque tempus, neque paginæ suppetant, ad demonstrandam judicii certitudinem. Nuda enim censura injustissima foret. Ac fateor hæctenus, quia figuræ ipsæ primo statim adspectu multum mihi apperuerunt, verbis ipsis & mensuris omnibus attente considerandis conferendisque, prout fieri deberet, sicubi judicandi animum haberem, nondum me vacasse. Interim hæc generalia ac forte levia dubia eximi mihi velim.

Cocceji delineatio visionis Ezechielicæ.

§. 10. Nimirum, omnia sollicitè perquirens, in atriis non parum spatiosis, non invenio, quam 60. ad sumum conclavia, 14. Cubitos præter propter patentia, (scalæ enim for-

Dubia quædam circa eam.

C

tasse

taſſe chalcographi vitio non accurate quadrant in figuris, in exteriori atrio, totidemque in duobus Tristegis ſacerdotum, 10. cub. lata, 18. longa, inter quæ decem, ſpatium occupant, quoda Sacra Scriptura ambulacro tribuitur, quorum 6. iterum nocte cœca repleta ſunt, niſi quando parciffimum, per oſtia tranſmiſſum lumen iis ſolatium adferat. Geſtiam itaque doceri, an Celeberrim⁹ Auctor, hæc ſufficiencia credat pro numero hominum, qui neceſſario ſimul in templo ſemper morabantur. Si enim per ſingulas ſeptimanas ibi commorantes, uti æquum eſt, computamus, non ulla quimus ratione pauciores concipere quam Janitores 126. Mactatores holocauſtorum 336. ut reliquos Promicondos, Purgatores, coquos, Cantores, Miniſtros Templi ac Miniſtros altaris &c. taceam, unde Villalpandus in univerſum ultra 700. Judæi 1333. probabilius numerant.

§. 11. Porro loca recondendis proventibus & oblationibus ex toto populo in Templum immenſo numero confluentibus invenire nequeo.

§. 12. Perſuadere etiam obtuſæ imaginationi non poſſum, contra tempeſtatum injurias, Populo, præfertim diebus feſtis, immenſa copia in templo congregando, proſpectum non fuiſſe.

§. 13. Cum nulla in ſuper linea per totum ædificium duci poſſit, ut in duas æquales partes, & ſimiles ſcindatur; adeoque ſymmetria generalis ac præcipua deficiat; cum conclavium ædificia humilia, ſimplicia, & more belgarum hodierno quoad facies conſtructa ſint; an a Deo ipſo Architecto provenire ejusmodi poſſint, ut mihi aperiant, eos rogo, quibus ex S. Theologia pronunciare fas eſt.

§. 14. Columnæ duæ procul dubio ænearum Salomonis æmulæ

amulæ ponuntur ad faciem templi sub dio, quæ antè intra vestibulum steterunt & simul 35. Cubitos altæ dicuntur in S. literis, hic vero singulæ tantam proceritatem obtinent, & juxta eam 7. quidem spiris in capitulo ornantur, sed in omnibus malogranata ostentant, cum ea S. Scriptura in una saltem, conicum capitulum tegente, ponat, quam hic loci quidem nondum reperi, denique vero ob nimiam proceritatem, si ad spissitudinem conferatur, aliaque plura sanæ Architecturæ contrarium eunt.

§. 15. Nulla fere altitudinum, latitudinum & longitudinum selecta ratio ad se invicem observatur, prout alias sacro architecto moris est in Templo Ezechielis; conclavia palis ab atrio separantur, eorumque ædificia a muro templum cingente penitus teguntur & exterius adventantium conspectui eripiuntur, exceptis supra tectum circumseptis peribolis. Talia omnia an vir æstumatissimus Templo Ezechielis divino convenire credat, in cujus descriptione Prophetæ circum ductor Angelus, proportionem, symmetriam, comòditatem, pulchritudinē & similia undique observanda tam evidenter indicat, quodq; ipse Prophetæ adduct⁹ instar Civitatis conspexit?

§. 16. An margines murorum, qui ipsi voce אילי notantur, mereantur tam accurate describi? Nam ad usus sacros nihil conducunt, ad manifestandam hinc conclavium eo facientium dispositionem, aut aliud quid inde deducendum nihil conferunt. Ornamentum singulare imò juxta mensuram ipsis tributam nullum, quidem conciliant. Tacentur autem a sancto Architecto plura elegantissima, totæque contignationes, quæ omnia necessario templo adfuisse constat. Quibus ipsis quidem objectionibus hoc caput claudendum est, quæ licet leves sint, mihi tamen easdem resolvere, fateor, possibile non est.

CAP. III.

De utriusque Templi Atriis paulo
specialius agens.

§. I.

Templo Salo-
monæ toti-
dem atriis fuis-
se, ac in visio-
ne Ezechielis,

Nimirum hic tollendus scrupulus est, qui **II.** Partem
N lecturo obesse fortean possit. Nimirum uti circa E-
zechielis, ita circa Salomonis quoque templum plura
uno atriis esse ostendi. Eadem utrinque satis ampla
præsertim in hoc fuisse, extruentium numerus, & e-
orum respectu diuturnum constructionis tempus, post
præparata jamdum materialia in sumtum, Populi Israe-
litici multitudo, opes atque potentia, atque templi pro
universo populo ingenti ut ita dicam unitas, præter alia
plura argumenta manifeste persuadent. Quo minus eo-
rum sententiæ accedere possum, qui templum Salomo-
nis secundo minus fuisse existimant. Eorum vero fun-
damenta non penetro, qui templum Salomonis, Taber-
naculo, & Ezechielis, isto duplo majus sibi fingunt. San-
ctum quippe tabernaculi spatium, dimidias mensuras
sancti æqualis in utroque templo habuisse constat, sed
inde ad reliquias partes concludere non statim licet.

Adferuntur
septem Atria
Israelis, circa
atrium sacerdo-
tum Fig. 3.

§. 2. At porro unicum atrium exterius, atrium sacer-
dotum tribus lateribus cingens, Templo Salomonis ad-
fuisse ostendimus. Similiratione quoq; Atrium magnum,
in 7. quasi minora distinctū in nostro Templo construxi-
mus. vid. Fig. 3. Atenim objiciat aliquis, in templo Eze-
chielis tantum describi tria atria inter portas sita, quatu-
or vero angularium nullam ullo puncto mentionem fie-
ri. Idque diffiteri non possum. Videndum ergo est quo
jure addiderim quatuor ista Atria, atque adeo crucifor-
me

me futurum templum in quadratum mutaverim. Cum enim Christum Salvatorem nostrum repræsentet templum istud, quænam crucis forma videatur convenientior esse?

§. 3. Respondeo autem ad argumenta, primo quod non sequatur, quia nihil de Atriis istis dicitur, ea ergo neque adfuisse. Nihil enim de conclavibus secundæ aut tertiæ contignationis in atrio dicitur, nihil de scalis atriorum, ergo nulla adfuisse. Proster nitur argumentum hac unica instantia, ut ut plures produci possint. Quod vero crucis formam attinet, malim templum stricte sic dictum de persona Salvatoris intelligere, atque atria de Ecclesia, quamvis dubium mihi circa talia fieri nolim, facile enim Theologia jubente mutaverim sententiam. Ita vero argumentum pro me militat. Templum enim crucis formam imo quasi crucifixi aptius multo repræsentat. Tota area montis sancti mundus sit. In omnibus ergo mundi partibus separabuntur ab impiis & gentilibus, qui verum Deum colunt; separationem ergo per atrium Israelitarum repræsentem. Iam vero constructo atrio illo figura quadrata, & posito atrio sacerdotum sanctiori pro Ecclesia, ex omnibus dicemus mundi angulis convenire gentes ad Ecclesiam, verum Deum ejusque cultum agnoscentes.

resolutio ob-
jectionum.

§. 4. Argumentis oppugnantibus rejectis, plura enim adferri contra nos posse vix credo, quibus quidem species aliqua sit; argumenta etiam probantia sententiam nostram inferam. i. consideremus 700 aut probabilius 1333. Sacerdotes. Hisce in templo non possum tribuere nisi conclavia duarum superiorum contignationum in atriorum ædificiis (imo ne illa quidem omnia.) In cruci formi vero templo plura juxta Ezechielem conclavia fieri non

Argumenta
probantia

sunt, quam 522. quæ ne minimo numero sacerdotum sufficerent, nisi velimus duos in unum compingere, quod in ædificio tali fingere non audeo. Accedant 4. atria angularia, habebimus minimum 906. conclavia, quæ propius sufficiunt, imo penitus sufficere possunt. 2. majoris momenti hoc argumentum est: Proventus olei, vini, frumenti, Thesauri auri argentique & lapidum pretiosorum, atque insuper materialium pro sacerdotum vestimentis, denique pecorum & alitum, ad templum ex omni mundi angulo collatorum, plurima quoque spatia, poscit, ubi reservetur, ordine quidem & commode recondendus. Huc vero vix credam totum ædificium meum, multo minus valde diminutum cruciforme sufficere, si vel cellariis substructionum, eum in usum adsignandis, supponantur alii cryptoporticus, aliæq; cellæ in profunda terra, 3. videbimus in tota descriptione S. Architectum simplicissimis figuris, & perpetuo fere quadrata gaudere, quare exterior & quæ primo in conspectum venit cum hoc instituto videtur merito debere congruere. Cruciformis vero figura valde composita est, eleganti proportioni minus apta, ventorum inter cardinalium, communiter insalubrium & inconstantium impetui, imbribus, & adductis noxiis exhalationibus obnoxia, cum in angulis illius prospicientibus apte ea colligantur & moras necitant, angulis quadrati extrorsum objectis dissipandæ. 4. Quadrata figura 14. turribus magnificis, & præ eminenti media templi, 23. prægrandibus ædificiis, quorum bina quælibet plateam augustissimam constituere possint longitudine, ut de latitudine & altitudine nihil dicam, ac denique templi præsigni splendore conspicua, aptior est, ut Civitatis præ se speciem ferat, sub qua primò templum Prophetæ nostro apparuit. 5. Extrema area manifeste etiã qua-

quadrata fuit, secundum S. literarum dimensionem quovis quidem latere 500. calamos, vel 3000. cubitos continens 6. Cubb. numeratis pro calamo. juxt. c. 40. v. 5. Ez. Quadratum vero templi nostri 500. cubitos quovis latere continet, elegantissima & vere divina proportione ad aream circum expansam. de quo vid. P. II. C. 2. Cruciformis vero figura jucundissimas rationes hinc sequentes confundit, & fractionibus deformat, quod incongruum esset ædificio a Deo Architecto, Deo ordinis & perfectionis profecto.

§. 27. Omnia hæc argumenta tantum dialectica sunt, sed simul juncta vim habere possunt. Nihil porro detrimenti metuendum est, si ubi hic veritatem minus adsecutus essem. Etiam si fatear, ultimum argumentum apud me absolutæ demonstrationis vim habere. Cum itaque liceat hypothese[m] facere, certum tamen est hypothese[m] meam contrariæ præferendam esse. Nam quæcunque hypothesis plurimis phænomenis satis facit, sine hæsitatione præferenda est. Vidimus autem pro altera nullum omnino militare argumentum. Cur ideo hypothesis rationibus destituta, non cedat alteri, plurimis suffultæ.

CAP. IV.

De Templo Josephi.

§. I.

FLAV. Josephus Judaicarum rerum celeberrimus scriptor, præter templum Salomonis, quod Antiquitatum Lib. VIII. describit, prolixius secundum templum, quale Servatoris nostri tempore, ab Herode renovatum erat, tam lib. Antiq. XV. quam lib. V. de Bello Judaico exhibet. Cele-

Celeberrimi Scriptores hujus temporis, ubi templum secundum describendum erat, ejus historiam in auxilium vocarunt. Aliqui præcipue Jac. Jehuda, eum juxta S. literas, & Talmudicos Doctores promiscue citant, inde universalem vel communem quasi Templi ideam conflaturi. Uti vero ipsum Templum secundum, ab Ezechielis visione, præsertim post restaurationem ab Herode factam multum discrepuit, ita hic loci separatim de eo mihi loquendum esse censeo.

Capellus se-
cus explicat
Josephum.

§. 2. Separatam quoque descriptionem illius Lud. Capellus prodidit, cujus excerpta ex Josepho, cum annotationibus & templi ibidem compilata ichnographia, apparatus Waltoni Biblicus continet. Verum enim vero ab ipsa Josephi mente ideam illam longe diversam esse, facile ad oculum demonstrarem, sicubi ad institutum nostrum conduceret. Generaliter tantum animadvertere licebit, cum columnarum porticum Herodis exacte architecturam Corinthiã absque dubio retulerint, intra atrium vero positæ, excepta magnitudine ipsis fuerint simillimæ, quod monstruosa columnarum earum constructio, pariter atque distributio a Capello adhibita, neque descriptioni Josephi, neque ejus temporis architecturæ convenire possit.

§. 3. Muro cinctum atrium mulierum, & ab ortu propterea binas portas sibi invicem oppositas fuisse, ex delineatione Capelli nemo addiscet. Denique ipsa Methodus, qua utitur circa hanc Josephiani, uti ita dicam, templi disquisitionem, ipsi scopo minus congrua est. Quas enim mensuras non expressas in Josepho invenit, ex Talmudicis doctoribus adfert, quod fieri fas æquumque minime est, sicubi in antecessum non pateat clare, eosdem cum Josepho in omnibus consentire. Mox ve-
ro au-

ro audiemus, quantum Talmudici Doctores hic loci a Josepho discrepent. Ita absurdus non potuisset non oriri conceptus Ezechielici templi si, ubi mensuræ expressæ non fuerunt, ex Talmudicis Doctoribus eas accersissem. Potius debuisset, datas a Josepho mensuras primo adsumere, deinde facta qualicunque dispositione partium juxta auctorem, mensuras reliquas ex circumstantiis ab ipso notatis exsculpere. Hanc methodum, cum demonstrandi vis ei derogari ullo jure nequeat, elegi, ac multis quidem parasangis priori difficiliorem, circa templum Ezechielis, non infeliciter, quod spero, adhibui, celeberrimum Villalpandum hoc ipso merito secutus.

§. 4. Succedere in Josepho eandem methodum posse jamdum deprehendi, modo coeterum illi scripto fidem adhibere satis tutum foret. Multis etiam modis illa vel Summorum Philologorum non paucis, tum quoad ipsam Autoris, tum quoad scripti auctoritatem sublesta est.

§. 5. Quod auctorem concernit, religionem judaicam nimis religioni ipsimet fuisse, libri ejus satis produnt, & brevius, ex celeberrimi Ittigii nostri, Domini ac Patroni mei venerandi præfatione ad Josephi editionem recentiorem Coloni-Lipsiensem fol. 169i. admiranda, autut plura dicam, auctori suo simili perspicere est. Architecturam eum accuratius non tenuisse, persuasus sum, quam auditu confuso & interrupto eam addiscere licet, dum quis, tempore extruendi palatii architecto & opificibus frequentius adstat. Næq; adeo videtur descriptionem accuratam unde ichnographica confici plantæ queant, sed superficiariam talemq; intendisse, unde splendor modo & potiores consuetudines templi, prout suo tempore fuerunt posteris cognosci possent. Imo dubito an Architectonica ejusmodi descriptioni par fuerit. Certe con-

De Josepho
judiciam.

fusissimos conceptus in præsentibus observare licet, alios etiam suspectos admodum. Prioris generis non raras, portarum v. g. descriptiones produunt. Posterioris patient ex collatione lib. XV. Antiqq. cum lib. V. de bello Judaico. Ibi binos porticus describit; Prior in extimo septo ab Oriente versus occidentem protensa quantum poterat, triplex erat, in medio altior basilicæ instar. Altera extabat super alterius septi eminentiorem aream, duplex quidem, & a meridie versus septentrionem producta. Qui porticus has cum alteris lib. V. de bello Jud. conciliaverit, magnus mihi erit Apollo. Patet adeo quid promittere accurati nobis de hoc autore hic loci possimus.

§. 6. Quod scripta ipsa concernit, ex antiquissimæ eruditionis modo laudata præfatione discimus, quantum adhuc in votis editio Josephi sit, cui fidere tuto possis. Ibi certe ubi numeri & mensuræ exprimuntur nullam fere fidem tribuere illis possum. Uno modo loco, penitus huc spectante, dicta confirmare liceat, ubi septum secundum templi lib. V. de B. J. describitur. Nimirum murus undique cingit spatium septi, quod exteriori plano altius est, nempe 15. cubitis, unde murus interior 25. Cubitorum altitudine comparens, exterius quadraginta. proceritatem ostendit. Huc ascendendum quatuordecim scalis est, ut singularum altitudo, singulos cubitos comprehendat. Quid fingi absurdius hisce scalis possit? Itaque hinc proficiendi in consignandis figuris exigua spes est. Translationes Auctoris elegantissimi plurimæ sunt, sed, quod facile cogites, multo minus græcis editionibus inter se consentientes. Imo Hebraicos Josephos habemus, qui quibusdam locis cum græco egregie conspirant, multis vero penitus diversa loquuntur. Videtis de illis supra laudatam Præf. nunquam vero satis laudandam. Mihi contigit

git tres illorum editiones videre: Ebraicam Sebast. Münsteri cum ejus interpretatione in folio Wormatiæ 1520, aliam a Sebast: Lepusculo editam, breviorē, & si editori credimus eodem celebri interprete conspicuam, 8. Basileæ. 1559. denique germanicam judaicis & literis & stylo conscriptam Amstelodamensem in 4to. Harum vero Josephus, filius non Mathatiæ, sed Gorionis vocatur, unde non obscure, juxta alias circumstantias concludi fas est, recentiorē libris istis auctorem esse. Cæterum hæc ipsa exemplaria Hierosolymitanum describunt templum, sed, quod miror, cum ab eodem libro procul dubio proveniant, admodum diversæ. Quæ in Lepusculi compendio est, egregie mihi arridet, præ cæteris omnibus propius ad veritatem sacrarum literarum accedens.

§. 7. Patet ergo satis curiosam, utut operosam & difficillimam fore disquisitionem in Josephi templum. Curiositas vero cum exiguum operæ precium sit, nescio an cæterum utilitas inde expectari possit, quæ improbum laborem ejusque tempus compenset. Quicquid enim exsculpamus, ædificium erit fortasse non inelegans, sed fortasse ejusmodi nunquam extitit. Perfectio ejus tanta non erit, ut uberes in Architectura proventus inde nascantur. At sacer usus plane nullus est. Quicquid inde lucrari possumus, diligentia atq; ingenii laus est. Verum, o quam vilia dona, quam pœnitenda, si breve vitæ spatiū, & rerum necessariarum imensam segetem pensitemus.

§. 8. Ne tamen nihil omnino de hoc ipso templo dicam, secundum Josephum, quatenus ex pauca lectione mihi cognitum est, tale illud effingerem: Templum satis accurate a Josepho descriptum, cingerem area quadrata, 252. Cubitorum in quolibet latere, ita tamen, ut ab occidentali, meridionali & septentrionali 26. modo cub. distet. Area ædificiis circumdarē 36. cub. profundis, quatuor anguli ho-

Ufus quinam
ex isthac dis-
quisitione
sperandi.

Brevis expli-
catio descri-
ptionis Jose-
phi.

rum ædificiorum, forent turres quadratæ 36. cubitorum. In lateribus, septentrionali & meridionali, ab angularibus versus medium similes binæ turres distabant 60. Cub. concludentes a deo inter se tria ædificia 60. cub. longa, ad constituendas porticus. Per quatuor turres portæ intrant, ex illis lateribus, una cum ornamentis suis 15. cub. latæ 30. altæ. Occidentale latus continuum ædificium, quali porticus continentur, inter binas turres angulares habet. Orientale similiter nisi quod istud ædificium grandior turris, in medio distinguebat 40. cub. lata, 36 versus interiora profunda, & 50. alta. Exterius ædificium hoc cingebat area quadrata, quolibet latere comprehendens 384. cub. ut ab ejus extremo ad murum usque 30. Cub. essent. Illi insisteret versus orientem porticus 15. cub. lata & a meridie versus septentrionem 334. protensa, in medio vero dissecta turri aliqua. Per hanc æque atque ante dictam turrim orientalem, portæ splendidissimæ patent. Cæterum area orientalis illa utrinque tum a via illa orientalium portarum, tum a reliquarum plagarum area distincta, cum porticu sua constituit atrium gentium. Ex hoc atrio ad portas ædificii 5. scalis, ascenditur ad extimam vero aream quæ modo descriptam ambit, quovis latere 500. Cub. longam scalis 15. quorum quæ ad orientem sunt sub extrema turri ponuntur, undique recta a portis descenditur. In illa demum area extrema porticus triplex meridionalis instar basilicæ & fortasse aliæ undique steterunt.

CAP. V.

De Templo Talmudico.

§. I.

CUM in Talmudicis libris plurima reperiantur de Templo Salomonis & Hierosolymitano, quæ Rabbinipro-

ni procul dubio conscripsere, tempore adhuc existentis templi aut secundi, aut Herodiani, ex quorum schedis postea Talmud collectum fuit: hinc celeberrimi scriptores Christiani non pauci, cognitionem Templi hinc ante omnia tanquam ex primario fonte peti posse ac debere existimarunt. Breviter itaque de hoc quoque dicendum erit; ut tuto de fontis hujus autoritate ferre liceat Judicium.

§. 2. Primo itaque certum est, quod specialiora hic loci quam ullibi alias recensentur, omnia conclavia, vasa & ministeria templi, sacerdotum ordines & s. continuo quasi indice videntur universim induci. Imo facile quis credat in illis rebus Judæis fidem habendam esse, quippe ritus & circumstantias cultus sui divini concernentibus, qui facile per traditiones inter eos propagari potuerunt. Ego vero hic quoque caute procedendum esse putem, si quidem ex lacunis judaicis aurum veritatis piscari velimus.

§. 3. In primis autem cognitio hæc ex Mischna in תמיר & מרות petenda sunt. Tractatum hunc latine vertit L. Capellus & notis illustravit, ex priori quoque excerpta addidit. Fateor autem quod ob Methodum, qua hæc tractat vir ingeniosissimus, & alias nonnullas circumstantias, nondum iis fidere constanter queam. Si quis enim ex Talmude designationem aliquam Templi conciliare velit, maximus eum omnino labor expectat, qui non nisi viro cana & solidissima eruditione prædito, & in tota Rabbinica, atque antiquitatibus Judaicis versatissimo sustinendus est. Quæ omnia quidem in Capellum quadrare non negabo. Accedit, quod celeberrimus: vir Geometriæ studium non mediocriter tenuerit. Sed ejus impatientia, qua, quicquid explicare facile non potest, sua auctoritate decernere consuevit, uti supra ostendi, & summa qua utitur, quicquid mutandi libertas omnino mihi confidentiam in

Quid ex Talmud sperari possit in hac re.

Ex quibus locis cognitio ista petenda sit

tanti viri auctoritate excusserunt, quantum quidem locorum præsertim Hebraicorum de sacris ædificiis agentium interpretationem attinet. Cæterum vero quicquid sit de versionibus, & undecunque provenierint, melius, imo necessarium est ad ipsam originem respicere, si quidem solidi quid præstari debeat.

§. 4. Etiam si itaque ipsum Templum Talmudicum describere adeo non intendam, sed tantum de ejus usu & veritate judicare, quoniam ipsum tamen legendi nondum mihi vires comparare potui, timidus hic ago, eo brevior etiam futurus.

Capelli de hac
re studium
conferat.

§. 5. Supra dictis excerptis, tertium quoque Capellus addidit ex Majemonidis Tract. de domo electa, ubi templum juxta Talmudicos Doctores maxime exhibetur, mutatis tamen hinc inde pluribus, circa templum stricte dictum præcipue, quod inter alia quadruplici muro & triplici circuitu cingit, cum duplex alias Rabbinis potissimum probetur. Refutatur ideo, & delirii sæpe Capello reus fit. Si tamen incidenter de hac controversia judicare licet, ipsæ quidem Majemonidis cogitationes, ut cum mensuris ab ipso positis, & cum Talmude forsan conciliari non possint, in se tamen nihil absurdi continent, & stantibus mensuris templi universalibus, effici convenientissime queunt. Male ergo Capellus tanquam Chimærica somnia ista deridet, eo ipso satis ostendens, quæ sæpe ejusmodi scriptorum versus sensus eum fugiat. Cum hoc vero Rabbino etiam, ad certiores Mischnæ intellectionem, Commentarii Rambam in eandem conferri merebuntur.

Leo Jehuda.
& de eo judi-
cium

§. 6. Multum quoque juvabit hoc talmudicum studium Leonitis s. Jacobi Jehudæ Leonis Hebræi liber de utroque templo. Ipse auctor ex Talmude præsertim, sed &

sed & aliis locis comparavit sibi templi ideam, eamque materiali forma longitudine trium Cubb: latitudine duorum, & unius altitudine effecit. Hodienum in Belgio illa conspici potest. Hinc tractatū suum inventor variis linguis ipse concinavit. Ex quibus in latinum idioma eundē per accurate transtulit, Vir Celeb: Joh: Saubertus, quondā S.S. Theol. Doctor & Professor primari⁹ universitatis atq; contionator civitatis Altdorffinæ, *πῶς ἐν αἰγίαις*, cum adhuc Orientalium lingvarum Prof. Helmeftadii degeret. Maximum applausum ubique locorum inter Christianos adept⁹ est judaicus ille partus, quo ipso tamen non deterreor, quo minus meam de eo opinionem aperiam, quia præfens ita postulat tractatio. Nisi vero fallor eruditus Judæus hac ratione templum suum extruxit. Primariam cognitionem ex Rabbimicis scriptis hausit, maximamque auctoritatem Mischnæ tribuit. Hinc itaque cognitissimis partibus v. g. conclavibus, vasis &c. quæ ad templum requirebantur; quæ in ipsa Talmudica delineatione non exprimuntur aut disponuntur, ubicunque in sacris literis, aut in Josepho descripta invenit, quæ modo somnians cum suis comparari possent, adsumpsit suoque arbitratu applicuit, citato tamen loco unde devenerat.

§. 7. Quid igitur sit, si defectus iudicii non est, nescio, quando auctor continua descriptione templum exprimit, & pro uno eademque norma mixtim, eodemque censu sacras literas, Talmud, Rabbinos, Flavium Josephum, Josephum Ben Gorion &c. citat. Quid hinc nisi confusio, nisi somnia oriri possent? Quid inde vero concludere debeam, quod sepe cursorio solum oculo, loca tum S. Scripturæ tum Flavi Josephi allegata deprehenderim, cum tamen non modo loca illa sed tota capita, imo libri quibus extant, de ea re ne verbum proferebant

rant, quam Judæus noster citat. Observavit, & excusare quomocunque annifus est idem Eruditissimus ejus interpres latinus; Ut adeo fere plurimarum rerum sine judicio, jam constituto conceptu, solum ostentandæ eruditionis ergo, eo collatarum mihi suspicio oriatur, cum præsertim ipsa templi ichnographia, tam confusa ratione undecunque congesta, secus cum aliis ex unico Talmud ordinatim & solide concinnatis, adeo conspirare vix potuisset. Quod ipsas figuras attinet, cum Ichnographia tam ἀγῶμετρήτως, areas, muros, scalas & aperturas exprimat, altitudines longitudinibus ac latitudinibus immisceat, scriniariam potius, quam architectonicam manum prodens, cum intra unicum murum ibi conclusa ædificia reperiam, cum deniq; in orthographia Villalpandum sine judicio usurpatum videam; nescio sane quid de inventore censendum, quidque de materiali idea, quam apprime inspicere gestiam, sperandum sit.

Lichtfortius
laudatur.

§. 8. Infinitis modis accuratius, quod Judæus hic præstitit, post eum effecit celeberr. Lichtfortius, eleganti ordine, solidissimo ingenio, & incomparabili eruditione ex S. literis, Josepho, Talmud & cæteris Rabbinis congesto apparatu copiosissimo, in tractatum quem de Templo conscripsit tum Salomonis, tum præcipue de eo, qui Servatoris tempore extitit. Optandum esset, ut separatim existeret tractatus iste, facile adeo memoriam quoque Leonis deleturus, quo tum carere sine damno possimus. Addidit etiam solertissimus auctor delineationem templi Ichnographicâ, quæ licet Architectonica non sit; itidemque altitudines mensuris planis immisceat, multo distinctior tamen Leoniana est. Cæterum illa Templum, juxta talmudicam sententiam exprimit. Si jam scientifica Architecturæ & perfecta cognitio, cum tanta Ebraicarum rerum & Theologicaliarum scientia conjungeretur quid

quid non de explicatione Templi ex sacris literis sperare possimus. Omnino enim plane aliud ibi, quam in Mischna exprimitur. Ex ejus vero cognitione maxima utilitas nobis oriretur, cum tanta a posteriori expectari nequeat.

§. 9. Cæterum dispositio juxta judæos huc credit maximam partem. Primo templum constituunt 20. Cub. latum 61. longum. Hinc versus occidentem rescindunt sanctissimum long. 20. cub. deinde spatium unius cubiti segregant, quoad longitudinem, & duplici velo a templo quasi separant, quorum unum respicit sanctissimum, alterum sanctum. Itaque reliqui 40. cubiti sancto relinquantur, versus orientem paries aperitur ostio 10. cub. lato & 20. alto. Hic spatium est, versus orientem 11. a meridie versus septentrionem 90. Cub. extensum, quod vestibulum templi est. Circa templi latera, orientali excepto, duplex circuitus est triplicis contignationis. Interior in 13. cubicula in ima & media in 12. in summa contignatione distinguitur (modum, quod fieri possit excogitare nequeo) ut in unum 38. gazophylacia inde oriantur, ad inferiorem contignationem ingressus est ex vestibulo in parte septentrionali, hinc ostiis gazophylaciorum undique sibi met' oppositis, circa templum progressus datur, usque ad partem vestibuli meridionalem, ubi iterum ostium erat, illud vero non aperiendum esse dicunt, perperam & ridicule huc trahentes locum Ez. 44. v. 1. 2. Circa circuitum hunc angustior alius non distinctus, sed continuus erat, in quem ex singulis gazophylacii ostium patebat, ut omnia gazophylacia tria ostia haberent, præter duo in angulis occidentalibus, quibus quatuor erant. Juxta vestibulum vero & hunc circuitum in parte septentrionali in crassitie muri cochlea erat, quo ascendebatur ad superiores contig-

Delineatio
juxta Talmud
cos.
1. Templi.

nationes. Ex primo autem inferioris contignationis gazophylaciò rima quasi per templi murum erat, quo templum aperturus intrinsecus ingrediebatur sacerdos, nam extrinsecus & intrinsecus valvas janua ejus claudendas habebat.

ā . Atriorum.

§. 10. Hoc templum circumdabatur atrio, in quo medio prope latus orientale consistebat ut versus orientem spatiosior relinqueretur area. In illa prope lat⁹ septentrionale separatum spatium erat, quod septentrio vocabatur, & ad mactanda holocausta pertinebat. Distinguebatur in tria spatia; proximum versus meridiem annulorum dicebatur, ubi aliquot series annulorum erant quibus prosternendæ pecudes alligabantur, sequens continebat 8. mensas lapideas mactationis, tertium mactatoribus erat. Altare magnum quoad orientem & occidentem in media area erat, sed deflectebat ad meridiem, quo spatium mactatoribus relinquebatur. Ascensus in illud leniter acclivis erat a meridie. Spatium quod areae relinquebatur post altare versus orientem in duas æquales partes dividebatur, occidentalis vocatur atrium sacerdotum, orientalis atrium Jsraelis.

§. 11. Totum atrium muris & exedris cingebatur, a meridie & septentrione tres Exedræ erant, duabus portis separatæ, duæ angulares, & tertia media eaque grandior & quatuor potius exedras continens, inter quas medium ambulacrum erat, porta tum versus extremum atrium gentium, tum alia versus atrium interius, quod sanctuarium dicitur, apertum. Duæ exedræ hujus ædificii in loco sancto, duæ in profano erant. Ambulacrum quoque medium altera parte elata & gradibus ascendenda atque peribolo distincta, in sancto, altera humilior in profano erat. In medio versus orientem unica porta erat, posita utrinque exedra, tum versus sanctuari-

ctuarium, tum versus atrium exterius, quod mulierum vocabatur, ostioq; pervia. Hinc differentia inter Doctores Talmudicos facile jam concilianda, quod alii 5. alii 7. alii 13. portas numerent.

§. 12. Versus ortum atrio huic adjunctum erat aliud atrium quadratum, in cujus quatuor angulis quatuor atriola ponuntur, iterum ex negligenter considerato, & perversè applicato Ezechiele. Atrium hoc vocatur mulierum. Ita breviter se habebat templum juxta Judæos, quod in quadrata area ponitur, quo vis latere 500. cub. continens. Ita tamē ut occidentali lateri proxime, septentrionali minus, & adhuc minus orientali accederet, a meridionali vero maxime distaret. Ipsam illam aream Montem domus vocatam, ambiebat extrinsecus peribolus, mox interius circumstructa erat porticus duplex, versus exteriora muro clausa. Hæc sufficiant de Templo Talmudico, cujus mensuræ, nomina hebræa, & aliæ circumstantiæ, exprimuntur in figura prima.

§. 13. Videntur itaque Talmudici Doctores, fortasse ex Rabbīnorum quibusdam relictis schedulis, qui adhuc existenti templo, Salvatoris tempore interfuerunt, aut ex Josepho etiam montem domus & forsā quædam circa exedras etiam de promissis. Hisce reliqua ædificia ex sacra scriptura, & traditionibus rituum suorum addere potuerunt. S. Scripturam quidem incongrue, & sæpe ridicule applicarunt, prout uno jam exemplo ostendi. Quibus accenseri merentur locus mactationis, quem ex Ezech. c. 40. v. 38. usq; ad 44. excl. item seq. v. 44 Cantorum cubicula, ac deinde atrium exterius, in quo 4. domus culinarum fuisse, ex cap. 46. Ezech. a v. 21. ad finem, quæ versus septentrionem posita cum atrio mulierum orientali permixta, & quoad partes etiam negligenter tractant. Tem-

plum ipsum inde aliquo modo vere conceperunt, si vestibulum plane enorme excipias, & vitilitigiū Rabbincum circa cubitum, qui sancitissimum a sancto distinguit. Quicquid deinde de suo addiderunt, more eorum confusum superstitosumque est, cæterum vero, quoad mensuras præsertim irregulare & imperfectum. Unde vero atrii sui, quod 187. Cubb. longum & 135. latum faciunt, mensuras acceperint, scire apprime gestiam. Si enim solliciti de eo fuissent, numeros non potuissent excogitare genio sacræ scripturæ magis adversos, quam ipsos illos. Denique cur tam constanter, uti Josephus etiam, ad sensum altaris ex meridie constituent, nescio, quem Deus ipse ab oriente jubet constituere. Facile vero ex hoc consensu crediderim, ita rem se revera habuisse in templo secundo.

CAP. VI.

De Lingua Hebræa tanquam primo hujus disquisitionis Fonte.

§. I.

CUM Deus ipse ædificii, hisce lineis designandi, Architect⁹ in sacris literis idem manifestaverit, apprime patet, ex ipso Hebræo Fonte cognitionem ejus hauriri debere, adeoque linguæ sanctæ cognitionem ab Interprete exigi. Qui igitur curtæ supellectilis in hoc studiorum genere mihi probe conscius sum, nec summam ejus difficultatem, præcipue in hoc loco, nescio, quam inter alia perpetuus fere Interpretum, virorum maximæ auctoritatis & eruditionis dissensus comprobatur: opus esse reor, ut ante omnia attente dispiciã, qua ratione tuto versari in hoc labore mihi met fas sit, ne deinde controversiarum
in-

incurfionibus, difquifitio præfens fine neceffitate pro-
fcindatur.

§. 2. Difficultates autem tum circa characterem, tum
integras voces, tum denique totos contextus me procul-
dubio manent. Quid ergo circa fingulas obfervandum fit,
deliberabo, pietatis, rationis, & fi cum iis consentiat,
Auctõritatis etiam præfidia, animo, quantum fieri potest,
à præjudiciis libero, ad hibiturus.

Quid obfer-
vandum circa
ufum Linguae

§. 3. Quod characterem concernit, video eruditiffi-
mum Capellum, ex rationibus fatis levibus, imo plane
erroneis, in descriptione Templi juxta Jofephum verba. 2.

De Characterẽ
ejus.

Par. 3. מאה ועשרים, *centum & viginti* cum iis permu-
tare אמה עשרים *cubitos viginti*, ut oftendat vestibulum
templi Salomoniani 20. Cubitos altum & 120. Cub. altitudi-
nem templi falfo hæcenus creditam fuiſſe. Quod quo
jure, quave injuria faciat, numque aliis quoque idem jus
competat, difpiciendum & in genere evolvendum erit,
num puncta aut literas facri textus mutare liceat, ratioci-
niis id fvadentibus?

§. 4. Capellus cum plurimis celeberrimis Philologis
affirmat, ac ſententiam ſuam plurimis non parum ſpecio-
fis, & laborioſe compilatis argumentis adſtruere nititur,
Voffio & Waltonõ eum inprimis ſtrenue juvantibus. Fe-
rit eorum ſententia tam literas quam puncta. Adverſus
eos acriter pugnant Buxtorffius & Waſmuthius, Viri de
Hebræa aliisque linguis Orientalibus longe meritiffimi,
ſuis quoque magnorum Philologorum catervis ſtipati.
Quos ex utraque parte recensitos vid. ap. Waſm. modo
laud. in Vindiciis. Poſteriorum caſtris, cum aliquibus
tamen cautelis, quoad literas & puncta vocalia, non poſ-
ſum non accedere.

Capellus aliiq;
literarum &
punctõrum
auctõritatem
laeſerunt.

Buxtorffius &
Waſmuthius
defendunt.

Capelli sen-
tentia.

§. 5. Adversarii literas primævas, Samaritanas esse urgent, quadratas autem, quibus hodie utimur, Chaldæas, iis substitutas ab Esdra post captivitatem, qui ob odium Judæorum in Samaritas, iis reliquerit primævum, & alterum characterem adhibuerit, quia notior ipse Judæis erat, quippe durante captivitate Chaldæorum linguæ maximam partem adfuerit.

Revellitar.

§. 6. Atenim vero, quis crediderit Esdræ, virum sacerdotem sapientissimum, tam inepta invidia motum, characterem primævum & Sanctum rejecisse, cum tamen alia plura majoris momenti Samaritas cum Judæis communia habere, vetare non potuerit. Quid porro juvasset, idiomate sacro retento, tantum characterem mutasse. Hoc enim æque, imo forte multo magis incognitum erat Judæis, quam ipse character. Hunc facile addiscere iterum poterant, illud vero majori cum difficultate ab iis reassumendum & quidem plurimis de novo addiscendum erat.

§. 7. Confirmant sententiam suam Rabbinorum & Patrum testimoniis. Ut ut vero argumenta ejusmodi non tam probent, quam probata confirment, ea tamen assumptis laudat. Wasmuth. ac solidissime resolvit in Vindic. P. I. c. I. postea jam profligata, penitus prosternit oppositis non imparis & momenti & ponderis Auctoritatibus. Si enim illis R. Jose & Mar Zutra, nobis R. Jehuda sanctus & Schimeon atque duo Eliezares favent.

§. 8. Porro ii siclos antiquos, inscriptiones item cipporum & s. Samaritano caractere signata urgent. Præter vero, quod nulla possit consequentia ad conclusionem illorum legitima deduci, quis ausit tanti momenti controversiam eorum iudicio subicere, cum circa recentiora Romana numismata tantæ vigeant incertitudines,
tan-

tanta litigia. Sed solide suo hic quoque more respondet Wasmuthius, atque argutissime Siclorum illorum auctoritatem, oppositis aliis Siclis quadrato caractere insignitis in fringit.

§. 9. Hoc vero notavi, nostræ partis argumenta probantia, ubi opponendi vices ad adversarios transeunt, eadem fere fata experiri, ut adeo perpetuæ controversiæ, convitiis larga suffusione utrinque sufflaminatæ, adhuc dum vigeant. Quare, licet minima spe fultus, operam dabo, ut de sententia mihi minus controversa prospiciam. In ea enim sententia sum: ubi quid asserimus circa Scripturam Sacram, illud ea fieri sollicitudine debere, ne levissima inde consequentia contra sanctitatem auctoritatemque ejus derivari possit. Itaque ab Esdra post Captivitatem Babylonicam, mutationem omnino aliquam circa sancta Biblia perpetratam fuisse non dubito. Qualis autem fuerit, sequenti historia, meam mentem aperiam.

§. 10. Abrahamus ex Chaldæa originem duxit, unde mirum non est, si linguam cum tota domo sua communem Chaldaicam loquutus est. Ipse vero cum familia sua satis copiosa ex patria in Regionem Canaan transmigravit, cumque tum temporis, adeo provinciæ numerosæ nondum fuerint, ipse cum suis quasi Populum constituit. Credibile igitur non est, linguam vernaculam in domo ejus periisse, licet paululum, quod aliis omnibus linguis accidere solet, mutata, a Chaldaica magis magisque forte, discrepare potuerit. Hanc Abrahami domum aut gentem vel ab Hebero parente Abrahami in 6to gradu, vel probabilius a traiectione fluvii Euphratis Cananitæ Hebræam vocandi occasionem habebant, unde linguæ hebrææ quoque nomen competat. Magis itaque crescente Abrahami posteritate, magis quoque linguam eorum perstitisse

Quid adverstæ
partis argu-
menta vale-
ant.

Esdras ubi
nonnihil circa
linguam sacra-
tam.

stitisse constat, neque ulla ratio est cur ante captivitatem, Babylonicam eam amiserint, nisi ab Ægyptiaca servitute, & postmodum a nimis intimo cum gentilibus commercio petatur. In Ægypto autem, licet ducentorum annorum spatio perire non potuit, quia Israelitæ conjuncti peculiariter habitabant provinciam. Successu temporis Israelitæ dudum in promissam traducti Terram, paulatim a vero Deo defecerunt, & prohibita cum Gentilibus commercia instituerunt, se totos iis commiscentes, eorum filias ducentes, & filiis nubentes. Inde nummi Gentilium & alii patrio caractere atque idiomate inscripti potuerunt, oriri. Inde Maritus uxorem, uxor Maritum ad suam alliciebant Religionem. Inde proculdubio sæpe Israelita familia potiebatur tota Ethnica. Unde sequitur innumeris exemplaribus divinæ legis, ethnicorum literis & idiomate consignatis opus fuisse, ad prospiciendum fidei ac pietati ejusmodi familiarum. Ideo Divini Numinis justitia populum præfractæ frontis Chaldæorum vinculis injecit. Ibi 70. annos morati, ab invicem dispersi & Chaldæas per familias singulatim distributi sunt, desiit vernaculæ linguæ perpetuum commercium, Chaldaicæ linguæ usus unus necessarius & perpetuus erat. Liberi in captivitate nati pauca hebræa, jugia Chaldæa audiebant, disciebant. Magis itaque magisque vernacula Judæis lingua hebræa esse desiit nisi, quod procul dubio Sacerdotes aliique viri pauci, perpetuis studiis plenum ejus vigorẽ semper retinuerint. Accedebant itaque Exempla legis, Cananæo, quod fortasse hodiernum Samaritanum potuit esse, idiomate conceptis, alia Chaldaice descripta, atque adeo Hebraica evanuerunt, in solis seniorum atque piorum Bibliothecis reservata. Denique ad Patrios lares sub Esdræ sapientissimi ac postea Nehemiæ etiam ductu

ductu & regimine reduces ex Babylonica captivitate facti sunt. Tum pius Esdræ animus universum Populi statum in integrum revocare, atque ante omnia divinum Cultum suæ puritati restituere gestiebat. Iterum adeo produxit legem Mosis veram & illimem, atque primævo suo idiomate & caractere promulgavit, abrogatis exemplaribus alia lingua consignatis depravatisque.

§. II. Huc breviter sententia mea redit, quæ simplicitate sua & reverentia versus sacras lirectas, præsertim Historia sacra, Rabbinorum antiquissimorum testimoniis, jam facilius ac planius exponendis, ac sana denique ratione amice conspirantibus, adeo animum meum occupavit, ut facile inde recessurum non existimem. Media hæc inter utramque fervidam & convitiantem opinio est, pacis amantior.

§. 12. Quod vocalia puncta attinet (nam de accentibus inferius separatim loquemur) eosdem adversarios, quos literæ experta sunt, eosdem etiam cum iis assertores. Illi monstrosam punctationem hebraicam, recentioreque esse, atque ex commentis Doctorum Tiberiensium longo tempore post Christum natum prodiisse, aut minimum a viis Θεοπνευστικῆς non venire satis confidenter asserunt. Hi literis ipsis coæva puncta statuunt, adeoque divina, sancta atque authentica, Utrinque argumentorum longa farragine depræliantur litibus nihilo minus in suspensio manentibus, nisi quod Buxtorffianæ sententiæ ob pietatem aliqua cedat prærogativa, ab adversariis fortasse super stitionis aut pervicaciæ censu habendam. Legi omnia argumenta hinc inde ventilata ap. sæp. laud. Wasm. in Vindiciis P. I. & apud Buxtorffium in Tiberiade & Tract. de Punctis possunt. Ego repetendis supersedeo, ac potius, horum partibus maxime accedens, ac animi mei sensa sincere exponenda progredior. Con-

De punctorem
vocalium
auctoritate.

jecturas ibi reperiet B. Lector, sed S. Biblia reveritas, rationi sanæ subjectas, & utriusque sententiæ conciliatrices. Cur vero conjecturis locus non fit, ubi hæctenus nisi conjecturis & litigiis nihil fere actum est?

§. 13. Credibile est proinde, si non in ipsa captivitate, minimum non longe post eam, linguam Hebræam desuisse vernaculum esse. Minimum si omnia largiar, sapientissimum Esdræ futurum illud cognovisse dubium non est. Itaque sacro textui, ne interiret consulere porro merito studuit. Sicuti vero aliis linguis omnibus fere, ita huic idem convenisse probabile est, ut plures quidem quinque vocalibus haberet, si pronuntiationem respicias. Ita linguæ Italica, Hispanica, Germanica &c. hodiernum juxta quinque vocales obscure pronuntiandas, totidem breves, apertas, & clare enuntiandas, imo raptissimas quoque agnoscunt. Græcæ & Latinæ eadem olim proprietates fuit. Eandem in Samaritana & Chaldæa lingua agnoscunt. Imo organorum loquelæ universalis identitas, universalem eam proprietatem efficit. Experientia vero testatur, ubi lingua vernacula est, ibi tot vocalium distinctione non opus esse in scriptione, neque unquam tamen, minimum moratiores, gentes in pronuntiationem peccare. Ita Targum etiam tres literas ab initio habuisse tantum testantur, quibus vocales omnes expressæ fuerint. Ita tres quoque loquelæ matres, scilicet ejusmodi tres literæ Samaritanæ linguæ in usu sunt. Ubi vero ejusmodi lingua exteris docenda est, distinctio vocalium accuratior requiritur, uti v. g. de e, & o, clausis apertisq; grammatici Itali solliciti sunt. Ita crediderim Esdræ adhuc temporibus Scripturam Sacram sine punctis extitisse, eundem vero, ut amissa vernacula, nihilominus genti judaicæ clara esset, vocales omnes distincte expressisse, ut constaret, ubi brevis & clara, aut longa & obscu-

obscura vocalis esset legenda. Qua ratione vero tædium lectionis, & scriptionis difficultatem prolixitatemque simul evitando, elegantius id fieri ab Esdra aut, si mavis, synedrio magno potuisset, quam mediantibus punctis vocalibus, quibus hodiernum utimur. Omnino divinum quid huic inventioni ipsi subesse nullus dubito. Ita itgur sine rei mutatione & authentias detrimento aut ulli⁹ apicis, fervari potuit primævum idioma sanctorum Bibliorum, ut intellectu facile esset, etiam si communi usui demtum. Verum est, Deo infinitos modos fuisse miraculose idem fervandi. Sed quis nescit Benignissimum Numen summa Miracula sua mediis naturalibus, & rationi pronis sæpe efficere. Cæterum in hebræo idiomate, plurima magni momenti occurrunt, quæ a Judæis vernacula hebræa utentibus facile, difficulter vero aut plane non a sequentibus ea amissa percipi potuerunt, quando v. g. verba textusque repetiti, in uno locorum mutilata quasi vel abbreviata demtis literis, una, aliquot, aut omnibus, solis vocalibus earum sedes obtinentibus. Talia tum notis brevissimis atque ingeniosissimis notata fuerunt, quas Keri & Ketib communiter appellant. Tantum abest ut signa illa correctionis esse credamus.

§. 14. Ita conciliavimus nobis cum ex utraque parte plurima eaque maximi ponderis argumenta. Ita v. g. synagogæ consuetudinem ob memoriam antiquitatis sine punctis legenti, credimus. Adeo congruunt nobis antiquiores Tiberiensibus Doctoribus punctorum memoria. Adeo Tiberiensibus etiam punctationem possumus acceptam referre, licet antea extiterit, si modo ejus normam & usum ex professo, ut ita dicam, docuere, ut Aristotelem Inventorem Logices non inepte vocamus, licet ante eum ea diu extiterit. Neq; nomina punctorum plurima Chaldica esse nobis officit, sive enim ab Esdræ sive a Tiberiensium

ensium tempore ea deducas, facile ex ante dictis ejus rei ratio patebit. Sic testimonia a Wasmuthio adducta favent nobis potius, quam adversantur, uti omnia reliqua ejusdem & affeclarum argumenta.

§. 15. Hæc itaqve tutissime sentire de caractere me posse persuasus sum, quem adeo in explicatione templi immutatum relinquare decrevi, tam quoad literas, quam puncta, potius ignorantiam meam agnitur⁹, quam ipsum incertitudinis in simulatur⁹, siquidem aliquod impedimentum meditationibus meis repagula ponat. Summo vero gaudio nulla ejusmodi mihi occurrissè, omnesq; difficultates hæctenus extricabiles fuisse gestio, quod factis infra demonstratum iri confido.

§. 16. Quod porro verba integra concernit, in Ezechielis loco nobis scrutando, vocabula nulla aut peregrina aut alias cognito significato de stituta obviam eunt, ac nihilominus eorum plurima doctoribus & Interpretibus hæctenus crucem fixerunt, cum communiter iis competentes significationes hic tribui repugnaverint. Nihil hinc certius concludere possum, quam vocabula illa ibidè esse terminos technice adhibitos. Ita in reliquis linguis adhuc communi usui relictis, artium præcipue elegantiorum res technicæ vocabulis notis, sed singulari significato expressis insignantur. Nempe id ubique locorum obtinet, res artificiales, non adeo frequentes communi conversatione, aut non diu genti allatas, aut ab ea inventas nominibus carere. Imperiti eas descripturi vocabulis notiorum rerum utuntur, aliquam cum iis similitudinem referentes. Artifices eundem morem servant, a similitudine rerum antea cognitarum, novis nomina imponere consueti, eaq; inter se magis magisque recipere, donec omnibus contribulibus nota sint. Si ullibi vero, certe hic mos in Architectura Civili ante omnia conspicuus est, re ipsa eum ibi poscente.

§. 17. Concludi igitur abunde potest unde difficultas textus nostri quoad verba oriatur, ubi vocabula technica non a vulgo imposta, sed ab artificibus orta adhiberi nemo negabit, nisi rei ipsius ignarus & contradicendi studio inebriatus, ubi ostenderimus, quam perfecte & antitypi instar Ezechielis templum Architecturam hodiernum excultam exprimat. Quid mirum igitur si lexica ignorant ejusmodi voces? Dudum vernacula esse desiit, hæc lingua. Jam vero experientia testatur, neminem, v. g. germanum germanos artificum terminos percipere posse, licet lingua vernacula exprimantur, nisi eos expressa ab iis edoctus fuerit.

§. 18. Neq; tamē hæc difficultas ab instituto me deterrere valuit. Quin videbam Architecturæ gnarum germanum terminos Architectonicos Italicos nunquā antea auditos, nec lexico expressos, modo cæterum linguam calleat, ex contextu posse infallibiliter colligere. Cum igitur descriptionem tam exquisitam architectonicam, hic mihi rimandam sumserim, cur non idem obtinendi spes supersit. Neq; etiam me fefellit, quosque in Villalpando, quo cum paria sentio, reperire explicatos aut rite explicatos non potui hujus observationis beneficio non adeo male forsan adsequutus sum. Nimirum in dictionariis & alibi qua potui evolutis omnib⁹ significationibus, deinde circumstantias textus & Architecturam consului, comparatis inter se, his omnibus verum vocis sensum demum conclusi. Neque adeo male me elegisse, ubi ad sequentia progressus sum, in eventu reperi, magna quidem cum lætitia & veri securitate. In qua melius confirmandus periculum feci, num in reliquis textibus, eadem explicatio succederet, de eadem re loquentibus. Et comprobabit pars II. neque hic unquam ullum mihi dubium aut impedimentum ortum fuisse. Ut satis persuasus sim indubiam viam hoc

loco selectam fuisse. Restat igitur ut de distinctionum, totorumque contextuum difficultate loquar.

De Accentua-
libus punctis
Auctorum
Sententia.

§. 18. Distinctiones contextuum, versuum &c. apud Hebræos ope punctorum accentualum exprimi Buxtorffius & Wasmuthius cum affectis statuunt. Gemina vero difficultas sententiam premit. 1. Quod a pluribus Auctoribus præcipue vero sectatoribus Capelli rejiciantur, tanquam monstrosa, inutilia & nova hominum commenta. 2. quod negari non possit diu ignoratum eorum usum fuisse, ac per consequens dubiam reddi hodiernam de iis doctrinam. Utrique illi satisfacere operose fatagunt.

Sententia
media.

§. 19. Quamvis itaque argumentis eorum convincar, accentus cum vocalibus punctis paria sibi incunabula vindicare posse, neque etiam penitus negem eorum usum distinctivum esse, nihilominus dubito an revera & per se ministerium eorum sensuum distinctivum sit.

Dubia quædam
circa V. Wasmu-
thii senten-
tiam.

§. 20. Celeberrimus Wasmuthius eorum leges distinguendi sensus Sacræ Scripturæ ita in Instit. Meth. Accent. se instituisse contendit, ut cuivis versui Biblico, si accentus deficiant, ductu regularum suarum a priori eosdem restitui pronum sit, ut cum eis penitus & figura & valore ac positu conveniant, qui ipsi antiquitus competunt. Quod si præstiterit vir de literatura Orientali meritissim⁹, quem non pudebit de veritate sententiæ ejus dubitasse? Quis non summos honores ejus manibus omni tempore decernat? Vereor ne sancti cognomen aliunde ei imponatur. Verum nescio an non felicitas eadem adhuc expectet accentuationem laboriosissimi viri, quæ Canoni ejus Chronologico accidit. Præsupponit ad accentuationem, sciri constructiones verborum & regimina. His vero præsuppositis, inductione aliqua regulas suas conciliare ex sacris literis potuit. Hoc vero, si accentuare a priori est, parum quidem præsidii exinde veritati sententiæ accedet.

§. 21. Quoniam igitur Wasmuthius accentuationis suæ certitudinem demonstrare nisi inductione non potest difficiles partes subiit, faciles vero adversarius, qui unico modo instantia in contrarium offerenda opus habet. Quid si igitur hanc afferamus?

§. 22. Ezech. cap. 40. v. 5. legimus: calamus mensuræ sex cubitorum in cubito & palmi.
vel ita distingvenda | verba sunt

Calamus mensuræ // sex cubitorū in cubito | & palmi |||. vel ita. Calamus mensuræ // sex cubitorum | in cubito / & palmi |||

Illa ratione dicitur Calamum continuisse sex cubitos & in super palmum, quod aliis locis expresse negat Scriptura. Sed eam rationem distinguendi, sacrarum literarum accentus important. Posteriori ratione, calamum habuisse, 6. Cubitos & in quolibet cubito palmum, sive 6. cubitos communem palmo superantes, sed punctatio accentualis S. Scripturæ adversatur, si quidem accentuum munus sit, distinguere sensus. Ergo aut erronee positi in S. Scriptura accentus sunt, aut alius eorum usus est. Hoc argumentum si non evidentia, vi tamen & certitudine Mathematica pollere firmiter per svasus sum.

§. 23. Neque meum hoc tantum modo, sed aliorum etiam aliqua argumenta urgent ad deserendam tantam auctoritate pollentem Buxtorffii Wasmuthiique sententiam, postquam iis responderunt quidem, nondum tamen, ut attentus iis adquiescere animus possit. Unum modo, aut alterum fortasse proponam.

§. 24. Arguitur accentuatio falsitatis exinde; quia in locis quibusdam novi testamenti, ex veteri allegatis, alia in græco, alia in Hebræo habetur interpunctio. Respondet Wasmuthius instantiam dando, quasi exinde

de absurde sequatur, integris etiam verbis derogandam fidem esse, imo phrasibus integris ob eandem rationem. ita v. g. Act. 13. 41. D. Paulus in Orat. ad Antiochenos allegat hæc verba ex Habac 1. v. 5. *ἴδετε κἀρὰ φρονταί, ἴδετε contemptores* &c. cum tamē ibid. in Hebræo legitur כְּנִיּוֹת inter gentes. Hanc vero allegationem putat esse libertatem, qua Apostoli usi fuerint, deteriorationem τῶν LXX. versionem citantes, quia in manibus eorum erat, ad quos loquebatur.

§. 25. At non Antiochenis solum habenda illa oratio erat, sed omnibus gentibus porro scripto Canonico comunicanda, quibus aliæ aliæque versiones in manibus erant. Quæ ratione præter opinionem pius Wasmuthius maledicis in s. scripturam cavillandi occasionem aperit. Malim igitur dicere non juxta verba, sed juxta verum verborum sensum loqui Novum testamentum talibus in exemplis, & si ex τῶν LXX. fiat, nam propriis quoque verbis nonnunquam ita loquitur, uti Rom. 9. v. 33. Col. 3. Jer. 28. 18. versionis ibi loci veritatem sancte confirmari. Confirmat sententiam meam, quod nullus eorum locorum, quos Wasmuthius & Buxtorffius adducunt, ipsi reclamēt.

§. 26. Sed age demus libertatem suam Wasmuthio nostro. Continuo urget, quid igitur mirum sit, si eadem libertate etiam ab interpunctione Hebræa veter. Test. aliquando recedant allegata Novi testamenti? non enim tam diserte semper in iis τῶν παλῶν locorum veteris testamenti, quam potius intentio & scopus saltem alicujus contextus, interdum observatur. Sed quod pace gloriæ auctoritatisque viro maximo debitæ, jubente veritate dixerim, distinctiones alicujus textus mutare, sensu atque intentione ejusdem permanente, vix po-

possibile erit, licet facillime fiat in verborum mutatione. Qua igitur ratione eadem in uno quæ in altero libertas est? Cæterum videtur omnino male Wasmuthium habuisse argumentum istud, ita plane alius in hisce responsionibus quam in reliquis est.

§. 27. Hæ aliæque plures rationes, quas brevitatis ergo prætereo conjecturam sequentem mihi insinuant, ab Esdra quidem aut synedrio magno appositos fuisse accentus distinctionis, sed alius ergo, quam ad sensuum intellectionem per se pertinet. Qvalis fortasse ad pronuntiationis variam modulationem conducatur, unde sane per accidens ipsi sensus intellectio sequitur, unde mirum non est, si idem tenor eorum in locis similibus est, quod consequentia non satis firma pro sua sententia urget sæpe laudatus Wasm. Vind. P. I. p. 151. Nam licet pluribus distinctionibus opus esse videatur in lingua Hebræa, ob regimina aliasque difficultates linguis Orientalibus proprias, quam in græca aut latina: nimis tamen prolixa, variegata, Anomalica, difficilis, ac denique copistarum inadvertentiæ obnoxia esse videtur ea per accentus distinguendi ratio. Itaque usum propiora Esdræ tempora, aut Judæorum ritus, aut quid simile iis proprium singulariter respexisse crediderim. Neque probabile est per Divinam benignitatem, quæ verbum suum adeo purum ad nos transmisit, tam diu latere si non penitus interire potuisse, rem tanti momenti pro beatificæ Scripturæ Intellectione. Habet hoc arg. Wasmuthius Vind. P. II. p. 352. Nescio autem cur non ipsi respondeat, sed potius varia scripta hodierna de Accentuatione producat, ostendendo quantum ea infra dignitatem sui partus posita sint.

§. 28. Hisce rationibus motus ab accentibus plane abstinui, idque tuto potui, eos interea impuris manibus non contrectandos, inerudita mente non depravandos & in adversos ipsis fines detorquendos esse ingenue persuasus.

Conjectura,
de ortu & usu
Accentuum.

Methodus hu-
jusce tractatus
circa locorum
sacrorum in-
terpretamenta
observata.

§. 29. Denique igitur ita omnibus probe considera-
tis, sequenti methodo sensus locorum explicandorum pe-
netrare laboravi, primo textum Fontis evolvi, ce-
lebriores hinc versiones consului atque apposui, por-
ro alia loca conquisivi parallela, eaque cum proposito
comparavi, rationes tandem, sed caute & non nisi
ex primis principiis non longa genealogia natas, at-
que ultimo Architecturam civilem, cujus hic egregiam
probandi vim esse, in processu jugiter demonstrabo, in
auxilium advocavi, atque id principium concludendo
sequutus sum. *Eam interpretationem hic loci indu-
biam esse, quæ nullam vocum originalium signifi-
cationi, literis & vocalibus vim inferendo, omnibus
locis parallelis facillime congruit & sine contorsione,
simulque sana & rationi, dignitati operis describendi Di-
vini, & Architectura scientifica adversa non est sed
consona.* Quo obtento restat ut hac parte I. de Archite-
ctura agam.

CAP. VII.

De Architectura Civili, tanquam

altero disquisitionis nostræ fonte.

§. I.

Nemo nisi Architecturæ peritus ædificii alicujus de-
scriptionem, præcipue nudis verbis efficere valet;
multo minus autem ejusmodi descriptionem nudis ver-
bis conceptam percipere. Nostrum igitur cursurus sta-
dium, carere Architectura nequit, quia prolixissimorum
ædificiorum historiam & delineationem legemus.

Exacta Archi-
tecturæ cogni-
tio requiritur
ad rem præ-
sentem,

§. 2. Neque vero superficialia tantum Archite-
cturæ cognitione opus habemus. Profundissima & intima
scientiæ ejus, Ordines, superliminaria, Columnatio-
nes, Arcuationes & similia probe noverit necesse est, qui
præsta-

præstare quidquam in explicanda ultima visione Ezechi-
elis cupit. Ibi enim ædificium offendimus, ubi omnia e-
jusmodi ornamenta Architectonica occurrunt. Inveni-
mus ibi elegantissima propylæa, vestibula, porticus & fi.
Quæ pulcerrimæ Architectis habentur regulæ, summa at-
que inaudita perfectione hic adhibentur. Sic a perturarū
altitudo, latitudini parietis sui æqualis, latitudo vero hu-
jus dupla observatur, subdialia spatia & turreæ exacte qua-
drata, ædificia rectangula ita sunt, ut longitudo latitudinis
dupla sit. Conclavia cubica, i.e. quorum longitudini æ-
quentur & altitudo & latitudo. Sic sanctissimum 20.
cub. altum 20. latum 20. longum est. Sic thalami portarū.
Conclavia majora Exedræ, cœnacula iisque conformia,
longitudinem latitudinis triplam, altitudinis duplam, uti
domus templi 60. cub. longa, 20. lata, 30. alta, vel latitudinis
duplam, & altitudinem dimidiam summæ ex longitudi-
ne & latitudine continent, uti sanctum 40. Cub. longum
20. lat. 30. altum est. Universum templum describendum
esset, si omnia recensere velimus. Adeoque omnes fere
lineas Partis II. ejusmodi elegantias mirari videbimus.

§. 3. Sed nondum sufficit Vitruvium, aut recentio-
res Vignolam, Scamozzium & ejusmodi celebres Ar-
chitectonicos ad unguem nosse. Impedivit hoc ipsum
non parum Villalpandum, quod Auctoritati eorum nimis
nonnunquam tribuerit. Sed ab iis ulterius progrediendū,
cumque sub Artis modo forma Architecturam propina-
verint, ad scientiam constituendam annitendum est. Nihil
admittendum, nisi demonstrative constet, nullam sub-
esse imperfectionem. Norma examinis hujus infallibilis
sunt, Natura, Doctrina Proportionum & Harmoniarum,
atque Antiquitatis auctoritas, consentientes. Præcipue
proportionum ratio habenda est. Natura autem uti ar-
chite-

Non sufficiunt
Architectorum
hactenus edi-
ta dogmata.

chitecturæ fundamentum primum est, ita insuper hic docet, nihil divinum habendum esse, ubi non facilitas & Majestas in una sede morantur. Ita indubie imperfectum in Architectura est, quicquid elegantibus rationibus aut proportione destituitur. Hoc per se clarum confirmabit S. Architectus in Ezechiele, quando nullam mensuram exprimet, quæ non simplex, integris numeris & maximam partem simplicibus constans, & ad mensuras mensurati ejusdem reliquas egregie proportionata sit. Ab his igitur regulis, quas toties ignorarunt, toties neglexerunt difficultate deterriti, Architecti antea recensiti, minime tamen omnium Scamozzius, nullo impedimento nullo labore motus, nil quidquam discedendum esse censui.

§. 4. Inde pro viribus difficillimam viam secutus, cum gaudio tamen expertus sum, in hoc ædificio eam non difficulter obtineri, licet in humanis inventionibus fere supra humanas vires esse videatur. Nimirum hæc ipsa via perfecte in hoc ædificio tanquam in divina idea expressæ est, non igitur de novo calcanda, sed potius hinc invenienda, quod ii efficiendi spem habent, qui modo inibi eam latere norunt. Hinc testari possum, huic ipsi meditationi multo plus in studio Architectonico, quam omnibus scriptis Architectonicis me debere.

§. 5. Interim in ipsa descriptione, quantum fieri potuit, architectonicis terminis & definitionibus abstinui, calculos etiam, præter facillimos omnes omisi, prolixiori ea operæ operique relinquens, quo ab iis etiam intelligi possem, quibus harum rerum cognitio nulla est.

F I N I S.

SECT. II.